

Magdeburg, 2.11.1004

Heinrich nimmt das von den Schwestern Frederuna und Imma mit Hilfe des Grafen Gero gegründete Nonnenkloster Kemnade, dem die Gründerinnen ihre aufgezählten Besitzungen geschenkt haben, in seinen Schutz und verleiht ihm die Freiheit von Gandersheim, Quedlinburg und Herford mit dem Vorbehalt, dass das Kloster bis zum Tode der Stifterinnen in deren Besitz bleibe, sowie die Immunität und das Wahlrecht.

In nomine sancte et individue trinitatis. Heinricus [divi]na favent clemencia rex. Ominium sancte dei aeclesiae nostrorumque fidelium presencium ac futurorum comperiat universitas, qualiter domna Frederuna venerabilis abbatissa eiusque soror Imma comitissa, Gerone comite adjuvante, construcserunt quoddam monasterium ad honorem sancte dei genitricis et perpetue virginis Marie dedicatum, ad quod omnem heriditatem, hoc est: Keminetan, Hegen, Barigi, Tundirium, Othere - hec sunt in Tilithi -; Uarstan in Auga; Rothe in Uuikanavelde; Bardenuuic, Hotmannessun, Uuitthorp, Britlingi, Biangibudiburg, Addunesthorp, Hatherbiki, Bodanhuson, Sutherburg in Bardanga; Claniki in Dreuani; Uuimannesburstal, Bennedesthorp in Mosidi; Uuidila, Uualders[i]di, Kokerbiki in Heilanga; Hola[na], Aun, Setila in Hogtrunga; Hepstidi, Sinigas cunctaque earum hic prememorata predia gratissima voluntate tradiderunt, que vero sita sunt in comitatu Bernhardi ducis. Unde nostram regalem aggresse maiestatem suplices rogaverunt, ut ipsum monasterium in nostri mundiburdio suscipere[m]us talisque libertatis ac legis primatum concederemus, qualem Gandesheim, Quitlinburg, Heriuurti tenere videntur, quod nos petitione Theodrici Mimidonensis episcopi fecisse omnium noscat universitas fidelium. Ad hec statuimus, ut in prefate abbatisse sueque sororis comitisse protestate predictum monasterium et abbacia nostro persistat concessu diebus vite earum, post obitum vero utrarumque earum ad nostrum publicum eadem abba[ci]a ius in perpetuum pertineat. Insuper autem volumus, ut nulla maior sive minor regni nostri persona in eadem abbacia placitum facere aud aliquam sibi molestiam inferre vel publicam funcionem ex[i]ge[r]e, nisi advocatus abbatisse sanctarumque monialium. Hoc etiam nostra regali auctoritate [ad hoc con]cedimus [abba]cie, ut sancte moniales eiusdem monasterii, abbatiss[a def]uncta, licenciam habeant eligendi [a]lliam ad hoc idonea[m]. Et ut huius nostr[e] auctoritatis prece[pt]um frmius omni [t]em[po]re perseveret, h[a]nc pag[inam manu] propria roborantes si[gillo nostr]o iussimus insigni[ri].

Signum domni Heinrici (M.) re[gis invictissimi].

Egilbertus cancellarius vice Uuilligisi archicappllani notav.

Data IIII. non. novemb. anno dominice incarnationis MIIII, indiccione II, anno vero domn[i] Heinrici II. regis III; actum Mag]adeburc.

Originaldiplom im k. Staatsarchiv zu Münster.

Corveier Copialbuch aus der Mitte des 15. Jh. ebenda.

Corveier Chartular des 17. Jh ebenda.

Monumenta Germaniae Historica, Diplomata (Urkunden), Heinrich II. und Arduin, Nr. 87, S. 111

Abschrift: Uwe Copei